Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26351
Copyright: Admont, Benediktinerstift

114

Rursus annali emenso spacio romanus patricius
imperium iam fraudulenter satagens arripere
dignitatem. percipiente anthemio capite ce-
sus est. His quoque diebus geisericus iterum ad italiam
navibus adventare cupiens. a basilisco patri-
cio navali superatus certamine. carthaginem
inglorius repedavit. At vero in orientis partibus
aspar patricius leoni augusto insidias moli-
ens. suum filium cesarem effecit. leo victorem exer-
citum ex sicilia vocans. asperem patricium cum no-
vello cesare filio aliisque eius germano. digno
vitae multavit exitio. Hoc denique ipso in
tempore inter anthemium principem eiusque generum
ricimerem patricium qui tunc mediolani positus
erat liguriae. magnus discordiarum fomes
extinctus est. Quibus se vir sanctitate conspicuus e-
piphanius ticinensis episcopus interponens. eos primum
ad concordiam revocavit. deinde barbarica
perfidia foedus ricimer inrumpens. erat gothus
prosapia. cum manu mox valida urbem contendit.
atque apud anicionis pontem castra conposuit.
Divisa itaque roma est. aequa quidam favebant anthemio.